

DISSE^RTAT^IO PHYSICA,
 BREVITER DELINEANS
THEORIAM SOLIS,
 Qvam
SUMMI NUMINIS GRATIA SUBNIXUS
 In REGIA & illustri ad AURAM Academiâ
 approbante Amplissima FAC. PHIL.

P RÆ S I D E

PræClarissimo & Excellensissimo Viro,
DN. M. PETRO HAHN,
 Phys: Professore Ordin - Celeberrimo,
 Confistorii Acad. Assessore gravissimo,
 Mecænate ac Præceptore gratissimâ
 mente perpetum suspiciendo,

*Publico eruditorum examini, liberalis exere
 cutioni causa permodestè offert*

HAQVINUS A. WUSSING/Smol:
 S. R. M. Stipend.

Ad diem 12 Decemb Anni 1685. in Audi torio Max:
 horis antemeridianis & usitatis.

Excusa apud JOHANNEM L. WALLIUM,
 Reg. Univ. ibid. Typogr.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
Amplissimo & Consultissimo Viro

DN. NICOLAO LIEZEN/
Regii judicij Ab. in magno ducatu Finlandia Af-
fessori gravissimo æquissimoq; Mecænati opti-
mo, Patrono ac Nutritio propensissimo, devo-
to animi obsequio ævitemnum suspiciendo.

Nec non VIRIS

Pl. Reverendo, Reverendis & Eruditissimis,
DN. M. JOHANNI SPAKIO, In Åsheda
Pastori meritissimo, in upwidingga härad Præ-
posito dignissimo, patrono ac promotori sub-
misso vultu devenerando.

DN. ANDREÆ H. Wüssing in Siedehåås
Pastori meritissimo, patri ut optimo ac chariss.
sic omni filiali pierate æternum suspiciendo.

DN. MARCO HEMMINGIO, in Berg
Pastori laudatissimo, fautori & benefactori
mente gratissimâ prosequendo.

Ut Ec

Per industrioæ natalium splendore sumè conspicuo,
DN. CAROLQ. Liezen/ in prædicto Di-
easterio Regio Amanuensi solertissimo, fau-
tori itidem honorando.

Simul ac *Venerabili & Doctiss:*

DN. SVENONI Einnevaldh/ verbi divini ministro
in Siedehåås impigerissimo, fautori cum amico
amando.

PAX, GRATIA, SALUS !

IN VIRUM JUVENEM
Et liberalium Artium studiis & amabilis
Virtutis ornatu spectatissimum,

DN. H A Q V I N U M Wijssing/
de *Theoria Solis* ingeniosè discurrentem,
Amicum ac Commilitem perpetim
charum habendum:

HAQVINUS VISINGIUS

per Anagr.

 NUGIS. QVA.HI. NISU. VIS.
vi delectantur NUGIS, & incepta lo-
quuntur,
Ignorant Artem ad QVA via plana ferat.
HI tibi non sunt accepti; sed corde volutas
Grandia, quæ eximios addecuere viros.
NISU cùm cupido præclara reperta sophorum
Vis vestigare & mente agitare bonâ.
Auticomi Solis, quem Gens Eoa colebat,
Naturam enudas ingeniumque potens.
Talibus in cœptis voto mea gaudia testor:
Ausus eveniant Numine propitio!

*Quamquam maſto animo propter do-
lorem ex insperato dilectissimi
Filioli obitu, perceptum,*

L. tn. Mq; scripsi

SIMON Zolpo/
Log. & Met. Prof. Ord.

*Literatissimo Ornatisissimoque
Juveni,*

DN. HAQUINO W3JES3NG,
Amico & commiliti meo perindustrio,
eruditam de SOLE disputationem pro-
priis auspiciis evulganti, *reisixov*
gratulatorium:

Quando corusciferi splendent la-
quearia cœli,
Eximum pandunt tunc CREATORIS
opus;
Plejades igne micant, *Hyades*, nimbosus
Orion,
Zetbus & *Amplion*, *Libra* *Venusq* suo.
Attamen his præstat patuli *fax publica*
mundi;
Sic præstat *pietas*, quæ *Tibi* sola pla-
cet..

*Quod dedi impedior quidem, lu-
bens tamen*

AND. WANOCHIUS
Ph. pract. & Hist. Prof.
h.t. Fac. Ph. Decan.

IN NOMINE INDIVIDUÆ TRINITATIS!
MEMBRUM PRIMUM
exhibens ὄροματολογίαν Solis.

Distrabit quemq; incertamens, retinent remoræ, nec sua seponunt incommoda rerum obscuri nexus, qui solvendi veniunt prius quam quis initia quæq; aut attingere aut accuratius pensare poterit. Quapropter laudat quoq; totus literatorum circulus eos Philosophos, qui primum cepere, licet non absq; omnisudore, enucleationem vocum in re tractanda tradere. Scilicet ut error Etymologiæ, viam aperit alias erroribus, Equivocationis semper conturbat, & Synonymiæ sèpè numero lectorem fallit: Sic quoq; genuinè expositum Etymon viam, Homonymon personam, ac Synonymia satellitem explicant, Metaphorice loquendo. Quorum modum nos sequuti, in thematis bujus explicat-

plicatione, veram vocis, quantum quidem intelligimus, insectabimur originationem, deinde inter variorū varias solis acceptiones, unam cēu insitato nostro cōsonam subjungemus, denique superstruēmus, quæ voci huic sunt Synonyma. Nunc ergo primus nobis de Etymo labor.

§. I.

Etymi indolem indagaturi deprehendimus, has inter reliquias eminere sententias, nempe quando ductu *Ciceronu* lib. 2. de nat. Deor. & multorum, dicitur *Sol* quasi *Solus*; primo quidem quia toto hoc universo, est unicum individuum, totam exhauiens speciei suæ latitudinem. Unde jam in frontispicio linearum nostrarum, hinc quidem tollimus parelium, cēu meteorum emphaticū, quod quâ prodit facie, non habet realē. Conf. Syn. Phys. Sperl. p. 175. Interim nō negamus pareliū unum vel plures, entia esse realia *in genere* talia, cum citra fictionem intellectus actiūque in mundo existant: quod ipsum declarat experientia

entia, tum etiam subministrat ratio, si modo attendere velimus, ad hujusmeteori causas, qvas clare satis explicat citatus *Sperling*. noster in suis institut: & nos ideo illuc candidum remittimus lectorum; hoc tantum subjungentes, qvod multa per *apparentiam* solam nobis constant, *quæ non sunt*. Fucum faciunt homines & artem eorum æmulatur sæpius natura: Non ut in se est vitiata, sed ut intellectus nostri tenebras, partim exstimulet istis imaginibus, partim etiam manu ducat ad rei ipsius notitiam. *Nam species veri detegit aliquando verum*, ut acutissimus scribit *Seneca*, & ejus verba refert *Clariss: Sperlingius*. Qvbus illud anneximus, ut ut nimis leve, qvod si reperiatur alicubi hæc vox in numero plurali usitata, ut apud *Democritum*, ex eo tamen non concludi posse, plures sole uno in terris dari: qvoniā intelliguntur ibi vel dies, ut sæpius apud *Virgilium*, vel Solis radii, ut apud *Martialem*; Vel deniq; ardor & æstus solis, ut apud *Horatium* legitur, ac paragraphus seqvens fusius de hujusmodi dicet. *Altera autē sententia*

est rursus *Ciceronū* & aliorum, quā *Sol*
dicitur *Solus*, quia omnium siderum in
Cœlo, est corporis quantitate maxima,
cujus rei cum detur forsan melior in
seqventibus explicandi ansa, propera-
mus idcirco ad tertiam istam *opinionem*,
qvæ ad ductum ejusdem *Ciceronis* &
reliquorum, dicit *Solem* qvafsi *solum* ulti-
mo, quod maximâ adeo sit præ omni-
bus aliis luminaribus, copiâ & clari-
tate fulgoris, qvam rectioribus & in-
terdum obliquis, semper tamen fulgi-
dis monstrat radiis, dum reliqua
singula lateant, tamquam obscuris late-
bris recondita, ut fusius dehinc. Interim
æqvi boniç consulas, has de *Etymo Ci-*
ceronis & *Calep* nostri sententias rogam⁹,
ac eligas quæ tibi arriferit, nam nobis
aliqvod harum discriminē ponere, non
est animus, sed tuæ hoc & ipsum offeri-
mus censuræ. *Neḡ enim singula necessi-*
tatis complectitur exercitatiſſimus Imperanti-
um, nedum nostra tenuitas : & qvare ?
quia miserè exſurgit intellectus noster, dicen-
te *Historicorum* principe *Cornelio Tacito*.

§. II.

Homonymiæ explicationem ubi pariter capite componere velimus *Chymicos*, qui solem pro *auro* accipiunt, relinquendo, etiam ab initio antevertere necessum habemus (si modo brevitas admitteret) notiores quasdam *Poëtarum* dicendi formulas, ut unam Satyrici istius Poëtæ *Juvenali*, alteram *Horatii* & tertiam demum *Virgili*. Proprius *Juvenali* modus, solem dicit *Primum*. Sic à primo sole Ssaviter in aëre cantando obſtrepunt aves, ludunt in aqua pisces, ipsiq̄ nos mortales primum plerumq̄ comitamur solem, in studiis sacris aut prophanis: hoc est solis præoccupamus aut proximi sequimur ortum. Infandum autem solem (venia verbo) ac proinde quamlibet, quæ in terris nos premit, denotat *Horatius* calamitatem, dum solem nominat *nigrum*. Enumeret quis mihi quæſo, omnes istos fortunæ arietes, fortunæ gravissima tormenta, quibus occurſuri variis concutimur modis. Vadat fames, vadat morborum cumulus, totum tantum orbem

si videris, advertes hercule præter in-
numera alia incommoda, etiam eos,
qui nobis forent & charissimi & nece-
sarii, inopinato exitu recedere eo no-
mine, quod homines sint nati, mori nati.
Quamquam brevissima nobis interdum
relinqvuntur mitioris fortunæ tēpora,
adeoq; opportune admodum se nobis
sistit explicandum dictum *Virgilii*, so-
lem *novum* nuncupans: qvo ipso in-
loco intelligit qvidem autor diem exo-
rientem, solem adhuc recentem, & non
dum tantopere ferventem: Verum nec
respuit allegorice verti, ac significari
levissimum ab ærumnis suspirium, qvū
in omnibus tribus hisce dictis, occurrit
tropica quædam locutio. Observatu
dehinc dignum est, quod à Theologis
præsertim homileticis sumitur sol, vel
pro *declaratione*, *conjunctâ cum mitiori*
quasdam castigatione, ut legitur apud Jo-
nam Cap. 4. 8. vel pro *persecutione solâ* &
perfectâ ut Math. 13. 6. cum sint impii ut
herbæ qvas sol adurit: Vel pro *laetitia*,
vel *præcone instantium ob peccata panarum*,
tum etiam *extremi iudicii*, ut Propheta
Joel.

Joel. Cap. 2.31. in V. T. & Lueas C. 21. 25.
in N. T. testantur. Vel *quinto eminenter*
ac Metaphorice pro ipso Messia, olim, & non
amplius, in carnem adventuro, teste
Malach. 4. 2. & Esaiâ C. 9. 1. in V. T.
Math: 4. 15. 16. & Luc. 1. 78. 79. in N. T.
Nostrî autem instituti ratio est, solem
contemplari, qua *planetarum medius dux*,
princeps & moderator est lumen reliquo
rum mens mundi & temperatio, ut præcla
re alicubi differit lumen illud Eloqventiæ
Cicero. §. III.

In synonymiæ expositione tanto mi
nus sudabimus, quanto magis certi
sumus, nos excusatum iri communium
epithetorum notatione, quæ sunt *maxi
mus Altus*, teste Virgilio; *lumen maximum*,
teste Vulgo; *lucis scaturigo*, teste Hera
clito, & *orbis totius oculus*, teste demum
Orpheo. Quidque qui novit, quantum
utilitatis proprium illud visus orga
num, suo præstat subjecto illuminato;
is parum recusabit idem quoq; posse,
metaphorice licet, dici de Sole, ceu cau
sa illuminante totum hoc universum.
Tantum esto jam dictum de *orouμελογια*.
Instat proporro. A5 MEM-

MEMBRUM SECUNDUM,

Πραγματολογίαν explicans.

Sic transavimus leves, trajecimus simplices, & fretum objectum superavimus, nauticæ artis minus periti. Sic quoque difficultatibus renitendo, errorem proptere evitavimus circa eas quæ ipsam absolvunt ὀποματολογίαν. Nam ergo in id juxta incumbere decet, ut, pari studio statim inseDEMUR modo assumptam πραγματολογίαν, cum absque insigni aliquo damno à nobis hic omitti possit tractatio, de propriasubstrat& materiæ sede. Formalis diversi hoc est munus, ut distinctio suo partiali &que ac obiecto totali splendeat quæque discipline.

§. I.

Undam unda trudit, errorem sequitur error, ac qui male incedere cepit, morem ut plerumque obtinet antiquum. Scilicet credidit Aristoteles, quod Cœlum sit quinta quædam essentia, à quod

qvatvor elementis diversa, simplissima,
incorruptibilis & æterna. Credidit so-
lem ut reliqua astra communem cum
Cœlo naturam habere, & ab orbibus,
quibus ea clavorum instar affixit, tantū
recedere densitate, distare compaæti-
one. Deniq; à prioribus erroribus pro-
vocatus credidit , nec credidisse con-
tentus, sustinuit etiam fidenti pronun-
ciatione definire stellam in genere sic
dictam (adeoq; & ipsum Solem) quod
sit orbis sui densior pars &c. Ad quem jam
referas *Peripateticos*, qui hujus dogmatis
rationes acrius obtrudentes nos salutāt
dicendo : *In simplicibus corporibus partes*
sunt ejusdem nature cum toto : Cœli corpus
est simplex & stellæ itemq; Sol, sunt ejusdem
partes. Ergo erunt stellæ itemq; Sol, naturæ
eiusdem cum Cœlo, cui inhærent & quocum
moventur: modo hinc tollimus densita-
tem & compactionem, quarum bene-
ficio facilius concipitur lux, & retine-
tur concepta. Verum Respondemus
minorem ex parte negantes ; nam ut
taceamus, quam habent stellæ & Sol
specificam formam, quis quæso dixerit eas
magis

magis partes fore Cœli, qvam pisces
partem constituant aquæ, in quâ lu-
dunt, & volucres aëris, in qvo volitant:
qvinimo sublatâ hac inconvenientiâ,
nec Sol, nec stellæ reliquæ detrahent
quid Cœli simplicitati, qvoniam nec
componunt, nec subtrahunt qvid aves
aëri, aut aquæ pisces. Quid multis
moror? cum ipse facer textus litem-
dirimat, dicens: stellas & solem non
ex expanso; tamquam materiâ factum es-
se (ut urget *Vallesius* Peripati assecla)
sed *in expanso*. ceu in subjecto positum,
Genes: i. 14. Dicit autem qvem nomi-
navi, *Vallesius*, qvod si expansum istud
non præberet astris materiam, *neceſſe*
foret istam expansi partem periſſe, quæ aderat
ubi ſingula poſita ſunt astra. Verum Re-
ſpondendo jubemus primum *Vallesium*
attendere, ne ſibi fit contradictorys,
qvando dicit Cœli substantiam conden-
ſatam, stellarum constituere materiam,
ac tandem tamen tollit à Cœlo vacuum,
tollit rarefactionem, tollit etiam alie-
ni corporis concretionem. Scilicet ut
putamus, substantiam Cœli condensatā
ſtellis

stellis materiam ponere , nec interim vel rarefactionem ad propellendum vacuum, nec ipsum vacuum, nec novam Cœli partem creatam, nec deniq; extrinsece substantiam aliquam adscitam largiri, summe erit contradicitorium. Deinde plane iniquus est *Valeſius* in hac suâ propositione, quoniam eâ lege sunt Cœli partes à Creatore productæ, ut aliis corporibus cedant eaq; intra se recipiant. Q[uod] circa valeat *Aristoteles* deliret *Valeſius*, & nos nostri instituti memores, ductu nostri *Sperlinoni*, hanc eu-dimus, ceu propiorem & ad substratam tantum materiam quadraturam, definitionem:

§. II.

Soleſt planetarum mediū, maximus, ſimplex, lucidiffimus, globofus, ſemper mobilis ex luce primogeniā inferiorum ſalutis cauſā creatus.

² Tradita hæc πραγματικὴ definitio, est brevissimum qvoddam compendium, qvod breviter & succinēte, salvis tamen relictis ſecus ſentientium ſententiis, nos

nos in veritatem rei deducit, qvod fit
via dupli, quæ alio nomine dicitur,
conceptus communus, seu convenientiæ, &
conceptus restringens seu disconvenientiæ,
qui ipse ob intellectus nostri hebetudinem,
tantum ab affectionibus hic desumitur.
Quantum ad prius, ponimus
loco generis *planetam* five stellam erran-
tem, qvippe dividuntur communiter
stellæ in errantes & fixas, & cum inter
has qvæ eundem semper invicem po-
situm retinent recenseri nequit, rema-
net quod referatur & definiatur per
conceptum qyendam convenientem,
ut est *planeta*, dictus à Græco verbo pass.
πλανῆς, quod *errare* significat. Oc-
casionem interim ex inde sibi sumunt
non pauci opponendi, qvos inter & *pa-*
tricium recognoscas dicentem: *Qvod*
dirigitur ad finem per sua initia & media or-
dinata, illud in nullo errat: Sol. Ergo. Suam
proposit: minorem inde inclarescere
dicit, quia Deus & natura nihil frustra
faciunt, nec motum frustra carent. Ve-
rum ut *ubi partes labant, summa quoq; tur-*
batur, dicente *Historico*; sic hic sumus rem
pera-

peracturi, ac distingvendo inter *errare*
proprie vel *per se*, & *improprie* seu *respectu alterius*, nihil *Patricio* relinquemus, quo nobis amplius molestiam creet. Scilicet *per se* in motu illud errat, qvod adeo sine certâ vagatur lege, ut terminum à quo exiit, & ad quem lege motus proprii redire necessum habet, vel plane non attingit, vel justo sæpius, tum itineribus alienis & tempore inconvenienti. *Impropriè* autem & *respectu alterius* errare, est eundem quidem terminum semitâ & tempore consuetis, interim tamen non simplici motu, rectâ planave viâ attingere, qvod Soli cum reliquis Planetis est commune, qui modo ad dextram, modo ad sinistram se vibrans, in summa tamē inæqualitate semper æqualis, nunc se ad altiora elevat, nunc se deprimens, ad inferiora tendit, semper eos gradus repetiturus, cum ad primum motus sui terminum remeet. *Motus prorsus erroneus*, non *respectu sui ipsius*, sed *stellarum fixarum*, quæ eandem à se invicem, eandem à terrâ distantiam, eundem in Cælo-suum obtinent semper. Priorem ergo sententiam

tentiam liberales concedimus *Patricio*,
non item posteriorem. *Quid?* quia
sepositâ repetitione distinctionis, etiam
de victarum gentium militi minor, quam
domestico habetur fides, dicente *Curtio*.

§. III.

Quod vero ipsam concernit in da-
ta definitione differentiam, desumimus
illam ut ante diximus, ex ipsis causis,
solem ab, ex, per & propter aliquid
creatum esse, clarius explicaturi.

Causa igitur Solis efficiens est vel no-
bis tacentibus, summum idque independen-
dens Ens, Deus scilicet. *Ter. Opt. Max: a*
nobis in secula laudando! quem ut simplici-
ter primum novimus, sic cœteris cun-
ctis suum adeo largitur esse & depen-
dere, ut ne vel mundi istud decus Sol,
hac lege eximatur, quia *nullum creatum*
est causa sui ipsius. *Quod ipsum ipsa si-*
mul probat Scriptura, dicens Genes: I.
â vers: 16. ad 20. exclusive; Fecit Deus duo
illa luminaria magna! luminare majus ad
prefecturam diei, & luminare minus, ad pre-
fectoriam noctis, atque Stellaras. Et collocavit,

ea Deus in Expanso Cœli ad afferendum lu-
cem super terram. Et ad præsidendum di-
ei ac nocti, & ad distinctionem faciendum
inter lucem hanc & tenebras: viditq; Deus
id esse bonum. Sic fuit vespero, & fuit ma-
nè dies quarti. Unde inclarescit satis,
solem æque ac opera reliqua creatæ. De-
um habuisse Causam suæ productionis
efficientem, & qvidem *die ipso quarto*.
Oggerunt interim nonnulli pagani, ac
non tam improbant causam, quam o-
mnimode convellere allaborant datum
Solu terminum, ejusdem somniantes æ-
ternitatem, quando dicunt, quod à pri-
mù tribus creationis dubius fuit dies, Ergo &
Sol vel ante fuit, vel tum statim incepit esse,
vi hujus Canonis: posito effecto, necesse est
causam velesse vel fuisse Dicunt etiam ter-
tio die fructificationem existisse plantarum;
Ergo & Solem; nam nullus effectus est sine
causa. Dicunt deniq; Solem, quia simplex
est, præcessisse corpora corruptibilia, ut plan-
tas; quia omne simplex prius est composito.
Verum ad has eorum objectionum ma-
chinas respondemus primo in genere,
& inde in specie. In genere hæc sibi di-

Etia putent , qvod â natura, quam nos habemus *constitutam*, ad illam tunc *con-*
stituendam argumentari absonum est; tum qvia Deus in producendo hoc u-
niverso, rebus se minime alligavit na-
turalibus, tum quod plerique Patrum
pie interpretantur placuisse Deo crea-
tionem plantarum præmittere solis, ut
eo ipso ostenderet, se ceu causam pri-
mam, posse pro arbitrio suo produce-
re res extra ordinem absq; secundis.

Adeoq; spectavit Deus in Creationis opere, non
operum excellentiam, sed sue liberrimæ va-
luntatis beneplacitum, ac immensæ potentie
gloriam. Et hinc demum si in specie
foret lis peragenda, exulabit forsitan So-
lis æternitas, ex dicto supra allato Ge-
nes: i. qvod *diem* creationis Solis dicit
esse *quarum*, tum ad eversionem con-
sequentiæ & ipsius probationis in pri-
ma ac altera objectione, repetimus da-
tam distinctionem inter *naturam consti-*
tuendam & constitutam, de quâ loquun-
tur Canones isti. Pari quoq; ratione
subvertimus tertii argumenti antece-
dens , partim ex ante dictis, cum ab
imper-

imperfectis ad perfectiora tendere voluit Creator; partim etiam limitatio-
ne, nempe *ea* corpora simplicia, quæ
ceus materia substitabant compositis, antecedere debere, non item stellas. Pro-
inde oggerant *paganī*, regerant alii, ma-
net interim certum, manet immotum,
Duum stare causam Solis *efficientem* &
quidem quarto Creationis die.

§. IV.

Primam Solis causam internam seu *materiam*, in hoc paragrapho explicaturi, asseveramus eam esse *lucem pri-
mogenitam*, quoniam creavit Deus pri-
mo Creationis die substantiam luci-
dam, discriminendaturam diei & noctis,
ut dictum est. Quæ ipsa lux, aut fuit
a Deo elapso isto triduo, *conservata*, aut
destructa; quod posterius pernegamus;
quia effectus fuit causæ suæ efficienti
probatus & bonus, sequitur itaque eam
fuisse *conservatam*. Si jam *conservata*
mansit, conservabatur utiq; lux ista vel
perfecta, vel *imperfecta*: Sed non *perfecta*,
quia si completa fuisset, seorsim cerne-
retur in mundo jam perfecto, adeoque

referretur vel ad *Angelos* quod fallit, quia sunt immateriales, vel ad *Cælum*, sed & illud male, quia istud natura non lucet; vel ad *Elementa*, & pariter in epte, quia terræ indolem non agnoscit, aquæ non novit, Aëris neque recipit, verum etiam naturam ignis subterfugit. Vel deum referretur hæc lux ad *plantas*, vel ad *metallū*, vel ad *animantū*, quod quam absconum foret, mea non refert pluribus dicere. Ergo jubet ultimo naturæ ordo & cogit necessitas, ut frustra tentatis singulis, referatur hæc lux ad *stellas*, & inde ad *Solē* ceu *imperfecta ac materialia*, quæ quarto die in productione Solis, *debitam* naœta est *perfectionem*. In quibus ex parte quidem nobis consentit *Pererius*, sequentia argumenta objiciens parti adversariæ: (α) quod Deus primum creavit Cœlum & terram imperfecta, & quia Cœlum est quasi primum mundi corpus (animata si exceptis) quod prius cæteris suum ornatum nanciseretur, fuit primia lux cœlestis, lux Solis. (β) quia infirma fuit alia quædam lux, singula ea præstare, quæ hæc

hæc præstitit ex verbis Mosis. (γ) quia
hujus lucis & Solis erat idem officium,
discrimen scilicet ponere inter diem &
noctem: & quæ plura demum habet
hujusmodi *Pererius*. Verum cum ex
allatis hisce non dum constat, an lux
hæc *nudam qualitatem*, non substantiam
importavit, subjungimus nos primo no-
stram sententiam, pro certo statuen-
tes, eam fuisse *substantiam*; quia fuit ter-
minus Creationis, quod apparet ex ver-
bis Creationis, *sit lux, & fuit lux*: Non
tamen Solam, sed *substantiam* cum *acci-
dente*, quia corpus fuit lucidū. Ac dehinc
refutamus *Pererium*, qui quidem tan-
dem consentit, *lucem* hanc fuisse *substan-
tiam*, interim tamen rem adeo pver-
tit, ut dicere non vereatur, solem *materiam*
suā, figura, magnitudine & densitate, pri-
mo statim die perfectum fuisse, *lucem*
*vero, motum ac potentiam producendi effe-
ctus*, quarto demum die data esse. Qvod
quantam sapit absurditatem, partim el-
lucet ex parag: præcedente, partimq;
jam demonstro: i. quia gratis dicit
lucem hanc *formam* dare, quod se-

quens refutabit parag: 2. quod negat
foli *lucidam materiam*, quando dicit lu-
cem die quarto traditam esse, & 3.po-
nit *figuram*,ponit *magnitudinem*,ponit e-
tiam *densitatem* primo die *perfecta*, & ta-
men tollit *formam* per quatriduum.Sunt
denique nonnulli alii, qui plane negant,
lucem hanc lucidam fuisse substantiam, quo-
rum objectionem cum ejusdem reso-
lutione, qui scire cupit , adeat Instit :
Clavis: Sperlingii. Interim certo ma-
net terminus creationis substantia con-
juncta accidenti; quod si observat idem
ac *tropicam locutionem* distingvit à *pro-*
priâ, solidi nihil habebit, quod regerat,
quia nec substantia, nec lux dies pro-
prie dicuntur; nec agimus hic de o-
mni luce, sed de primogeniâ tantum.

§. V.

Leviter sic posita unâ solis causâ in-
ternâ, seqvitur ut properemus ad al-
teram, nempe eam ipsam, quæ dat ei
suum esse specificum, quæ causat affe-
ctiones, quæ format effectiones. Cum
autem qualis ipsa in se sit , nobis ab-
scinditum fuerit, reponimus in locum,
ejus

ejus affectiones , quæ in suo demon-
strantur loco , dum illi , qui spernunt
hanc simplicis ignorantiae confessio-
nem, dicunt solis formam esse vel *ani-*
mam vel *lucem*. Nos vero illorum ine-
ptiis non vacantes, negamus jam sta-
tim *motum solis localem, varium, perpetuum,*
certissimum, ab anima intelligenti emanare;
ac reponimus eundem unice depen-
dere à formâ , qvam in principio pa-
rag. indigitavimus, nempe *naturali*, non
autem *rationali*: tacemus etiam *perver-*
sam explicationem dicti, opus Daniel: 12. 3.
expressi; dum reponimus similitudinem
hanc non in intellectu vel ratione, qvâ
carent astra, sed in fulgore constare :
tacemus pariter qvod dicunt ex dicto
Job. 25. v. 5. stellas vel *solem immundum*
esse, ac ideo constare anima rationali: quia re-
ponimus Solem *immundum* dici in com-
paratione cum *Deo*, nec tñ. quia *immundus*
est, constare *anima*, nam si hoc valeret,
constaret utiq; *anima rationali*, quidquid
unquam existit. Deniq; tacemus tor-
tuosam explicationem dicti Es:44.v.23.
Item quod animam habebit Sol, quia

dicitur *laudare Deum*, dicitur *largiri sub-lunariis animam*: ac singulis hisce bre-viter reponimus (α) quod dictum Proph. 1. continentem non contentum, 2. non solis animam sed quandam προ-σωπων αγρuit: (β) fecit Deus solem in five cum intellectu suo, non solis. (γ) laudat Deum Sol, non effective, sed objective. (δ) formam singulis rebus in-esse per *Creationem*, tamquam per *prin-cipium primum*, & solem dicimus non *specificare*, sed adesse ceu *causam adju-vantem universalem in generatione*. Adeo etiam hic improbamus non tam *di-
fisionem*, sed in loco incongruam *appa-
tationem*, quando scilicet dividunt animam in *Generalem & Specialem*, & *formam* vo-luntariâ ignorantiâ contemnunt: id est male dicunt generalem istam, meta-phoricam ac analogicam animam es-se tantum ἐνεργήσιν, hoc est *activam*, cui-vis Creato indito ad munia sua expo-nenda: ut hinc etiam aliorum præoc-cuparemus objectionem, qui cum So-li *formam* ponunt *substantiam lucidam*, sic colligunt, *lux soli forma est essentialis, quia omni*

omni lucido forma est et quidem essentialis:
Verum pariter male. Nam notum est
(a) si de luce *in genere* discurrimus, e-
rit eadem *accidentis*, & nullum accidens
fit unquam *substantia*, nedium *formas*. (β) si discursu *speciali* ad lucem *primogeniam*
provocamus, constat ex parag:priori,
quod ne illa sola substantia fuit, sed con-
juncta cum accidente (γ) est omnis lux
visibilis & formæ *invicibilis*. Sed cum ad-
vertere necesse sit acerrime nobis à Pe-
ripateticis objici, *intelligentia* Solis *for-*
mam esse: Respondemus his cœteris re-
lictis, ac dicimus, nos intelligentias quidem
quoad suum esse, agnoscere, sed diverso prorsus munere, in Scriptura
manifestato. Concludimus ergo, Solis
constantissimum motum nec depende-
re ab animâ rationali, nec à luce pri-
mogeniâ, nec ipsis intelligentiis; sed à
forma suâ informante & specificante,
quod ipsum roboramus syllogismo,
Sperlingio usitatissimo: Omnis motus natu-
ralis profluit ex principio interno, seu formâ
informante: Motus solis est naturalis Ergo.
Præprimis cum ex motus divisione in

naturalem & violentum, dispiciamus illam, quæ hic objici solet instantia, de motu naturali respectu *principii passivi*.

§. VI.

Qvoniam imponunt nobis ordo naturæ ac necessitas, ut explicemus in hoc parag: alteram solis causam externam, nempe *finem*, ob quem produxit Deus Solem: Idcirco cum varius in se sit, optimum nobis visum fuerit, dividere eundem in *ultimum & subordinatum*. *Ultimus* ille est declaratio opificis gloriæ, nam sol qua nobis famulatur, declarat Deum *bonum*: qua inter tot myriades stellarum motu irrequieto & libero vagatur nunquam confusus, declarat Deum *sapientem*: qua deniq; nec pondere pressus, nec levitate sublatus, magno cum corpore in fluido æthere sustinetur, declarat Deum *potentem*. *Subordinatus* autem solis finis, amat se statim subdividi in *principalem & minus principalem*. Principialis ille consistit (α) in globi totius terreni *illuminatione*, quod apprime patet ex dicto Geneseos 1.14 patet ex luce primævâ, quæ soli præcessit

cessit tenebras dispulsura , quæq; ejus
materia deinceps facta est , patet si-
mul ab ipsa experientia, quā sol nec o-
tiosus est productus , nec alterius ali-
cujus functionis gratiā , qvam ut illu-
minet. (3) consistit idem finis in tem-
porum *descriptio* & variarum tempe-
statum *formatione*, quod æque patet ex
Genes: capite & versu modo citatis :
verba autem hæc sunt in fine versus: *Et*
sint in signis & tempore: scilicet Vere ,
Æstate, Autumo, & Hyeme ; item *cum*
diebus & annis, (γ) ut adsit Sol ceu *causa*
universalis, & *indeterminata*, qvæ in corpo-
rum sublunarium *inanimata* ac *animata* a-
gendo, *actionem diminutionē*, *generationem*,
corruptionem, *conservationem* ac *variariū*
varizs virtutes in eadem imprimet. Auget
namq; Sol singula inferiora, vel blan-
dum calorem, qvo alimentum substanciæ
suæ copiosius præparatur , provo-
cans, vel ē gremio terræ extractum al-
imentum , eidem iterum infundens :
verum *minus* singulis his subtractis.
Generat rursus, vim generativam in se-
minibus latitantem excitando: veren-

corrumpit, vel nimio æstatis ardore, vel
hyemis rigido rigore. Denique taceo
ut calore foyens, taceo ut corrupti-
vum frigus propellens, singula sublu-
naria conservat idem noster sol, ac *va-*
rius tantum intueor virtutes, qvas ceu
omnium notissimas *imprimat* in mista,
in segetes, in ipsum denique naturæ he-
roem hominem: quamvis nec virtu-
tum, nec vitiorum habitum infun-
dat, nec voluntati hominum domine-
tur, ut specialis quædam nostra decla-
rabit quæstio. Interim nec multum no-
bis faceſſit negotii objectio, desumpta
a ſolis remotiſſimo ſitu: nam concedi-
mus ſolem non agere in inferiora hæc-
ce *contactu aliquo corporali & immediato*,
ſed *virtuali & medietate* ut poſtmodum.
(d)confiſtit finis ille principalis in eo,
quod Sol fit *ſignum rerum futurarum*, te-
ſte citato verſu Genes: non tamen ita,
ut urgent *Genethliaci*, ac nos poſthac
rurus refutabimus, ſed quatenus *ſim-*
pluer aliquid instantis pronunciat I.
Naturaliter, quando ex ſolis motu, ortu,
occuſu aut vario qvovis in Cœlo po-
ſitu

fitu, ceu ē causa secunda investigantur
eventus vel *certi*, ut Ecclipses, vel
incerti ut pluviae, siccitates etc. quæ in-
certæ manent, (α) quia Dei liberrima
voluntas non est adstricta causæ huic
secundæ, quin eidem consentiens, ali-
quando etiam dissentire possit. (β) qvia
vires ejus viriumq; ad producendum
effectum proportionem, non penitus
exploravit etiamnum quis mortalium.
2. pronunciat etiam sol futura *Civilitate*,
edocens jam fore opportunitatem
arandi, jam plantas ferendi, iam vites
purandi &c. 3 autem *Spiritualiter*, mani-
festans gratiam aut iram Dei præsen-
tes aut affuturas, ut Josuæ 10. 12. Math:
27. 45. Interea permanet *finis ille minus*
principatus (qui quoq; mysticus erit) u-
nus & indivisus, erudiendo scilicet nos
ut ductu solis, concredita negotia fide-
les administremus, ductu etiam solis
singulos hominum amore amplecta-
mur, cupientes singulis prodeſſe. Et
hæc de Causis, cum properare nobis a-
nimus fit, ad

MEM-

MEMBRUM TERTIUM

Solis affectiones explanaturum.

Efficiens finem, & materia sumam formam hactenus respexere: tanto autem exactior etiamnum remanet cura, quantà quæ supersunt affectiones, proprius assimilari possunt vel mari scrupulo, mari scopulo, scopulosa dico scopulo, vel alii cuivis rei, quam aggravat difficultas difficultis. Interim legimus Clariss: Sperlingii vestigia, quibus affverimus, ac insuper unumquemq; rogatum imus, ne quis hac de re offendatur, sed si in quibus erraverimus, placidus nobis ignoscat ceu iis, qui nullam aspernantur informationem,

§. I.

Affectionum prima fuit solis inter Planetas medietas, in subjecto cœlo, ut quartus cum primo, & tertius ab ultimo limites inter duas quasi trigas consti-

stituat, *Saturnum, Jovem & Martem* ab una parte, & *Venerem, Mercurium*; tum *Lunam* à parte alterâ habens. Verū cum non possumus id ipsum evincere argumentis, quæ nihil Matheſeos sapient, licebit nobis veniā impetratā *Physicorum & Mathematicorum* industriam jungere, ac nostram sententiam declarare. 1. Ab *Eclipsi solari*, factâ interpositione *Luna*, qvoniā omnium erit consonum votis, id esse superius fidus, cuius lumen tollitur corporis opaci interpositione, ut *Luna*. 2. à *negatione vacui*, nam evictâ jam *Lunæ* existentiâ inferiori, dicimus *Venerem* quoq; & *Mercurium*, intercedere inter *solem* & *Lunam*, qvum alias vacuum daretur, maximum istud spatiū, quod obſervarunt *Astronomi* inter *Solem* & *Lunam* 3. à *simili*, quia quā Majestate quis vidit Regem inter subditos, eodem quoq; fulgore videbit *Solem*, non tantum inter reliquos planetas, sed & stellas fixas: sed convenit Regi subditos illustrare & jura dicere, in medio eorum accumbendo. Ergo & *Solis* erit, à medio loco singulis stellarum

larum reliquarum suam largiri lumen. Adde etiam simile à corde. Indeque data hac occasione, concedimus *Wendelino*, stellas habere *nativam lucem*, & ipsam etiam lunam; concedimus pariter *in aequalitatem lucis nativæ*; concedimus demum *diversitatem luminis mutuationis*: ita tamen ut prælio hoc secundo ejus atterantur copiæ, & solis lux æque ad singulas stellas pertingat, qua nec est *subjective calidus*, ut vult *Wendelinus*, & postmodum dicetur, sed *virtualiter*; nec suprema aëris regio, *per se* magis Luminis habeat hac nostrâ, nempe cum cœlum sit serenum, sed interdum *per accidens*, nebulis aut nubibus nostras oras infestantibus. Ac non otiose tantum pertingat beneficio radiorum, illa ipsa lux, sed & illuminet, quod probamus 1. *Testamentio Mathematicorum*, qui dicunt planetas eo esse lucidiores, quo sunt soli propiores. 2. ex *ius solis medio*, qui modo ostendebatur. 3. à *Luna* lumen non tantum mutuatitium probante, sed & diversum.

§. II.

§. II. Diximus pariter in data definiti-
one Solē esse planetarū *maximum*, cum
ob *corporis sui vastitatem*, quam optime
novēre *Astronomi*, tum ipsam *lucus copi-
am*, quam probat una cum Scripturā
etiam moderna experientia tam
clara, ut nec magis lucidus, nec
major quoad corpus sit Sol tempore
matutino • quam *meridiano*, licet ob
medii diversitatem & vaporum
eo maxime tempore congregationem,
apparenter saltem id demonstrari potest.
Adeoꝝ concedimus rursus *Wendelino*,
corporis solaris magnitudinē non pro-
bari posse primo, ex dicto Gen. i. ita ta-
men ut nec finis, nec effectus ex sen-
tentiā ejus proprius determinent eam.
Nam finem in plurimis eundem respi-
cit *Luna*, & effectus realis realem ar-
guit causam, non autem in omnibus
determinat quantitatem. Manet ergo
quod aꝝ quoad *corpus ac luce* sit maxi-
mus. Cui affectioni aliam quoꝝ nem-
pe proxime subsequentem addimus,
dicentes corpus illud solare, etiam
esse *respective simplex*, non prout,

opponitur *composito* ex *genere* & *diffe-*
rentia, ex *esse* & *essentia*, ex *actu* & *po-*
tentia &c. aut demum ex *materia* & *for-*
ma, sed prout opponitur *misto*. Qui-
bus etiam quartam solis affectionem
annectimus, solem omnium reliquo-
rum planetarum & stellarum esse lu-
cidissimum ; probaturi tam exinde,
quod solus ille sufficeret ad producen-
dum diei lumen cæteris remotis , illi
autem nullatenus amoto hoc : qvam
hinc quod ad nos usq; ejus lux se ex-
tendit per radios(ut supra paulo memi-
nimus) quod non foret si lux solis esset
calida subjective, ex sentētia *Wendelini*.

§ III, Qvoniam hoc loco, ut pri-
us, incidit mentio in *calorem solis*, ē re esse
videtur, paucis de isto heic agere, qvod
facturi, negamus primū *ignis substantiam*
primo calidam , *fuisse istam lucem* , cuius
mentio fit Genes: i. v. 8. Nam vel *mini-*
ma scintillula manui nostræ admota, for-
tissime eandem adurit parum lucens:
Contra vero *lucida substantia* in putri-
dis lignis magis lucet, lucet quoq; in
oculis felium,, & non calefacit. Sin di-

xerit quis eandem nihilominus ignem fore, rationem det, cur ignis iste lucidus non calefaciat, aut si in majori quanto affuerit, non comburat. Deinde quod *lux* & *calor* adeo sint diversa, ut *caliditas* non sit aliqua *sola affectio*, (quare nec in definitione mentionē ejus fecimus) evincere properabimus hoc argumento: Si calor toto hoc universo, tantum est specie unicus, est quoque adeo ignis proprium, ut non sit qualitas ab eodem separata, nedum à sole quadam copia in partem sublunarem diffusa: sequitur caliditatem non fore *Solis* affectionem: Sed V. P. E. P. Antecedentis singula membra probaturi, dicimus i. *membrum* inclarescere ex *iisdem effectibus*, qui *specie eandem* arguunt *cavitas*: scilicet ponas licet *calorem Cælestem*, ponas *Elementarem*, ponas *Vitalem*; habet tamen eandem *per se calefactionem*, (licet gradu distantem) sumas eandem *attenuationem*, accipias *solutionem*, referas *digationem*, ne dicam, eandem possideas *concoctionem*. Verum ponas pariter licet *calorem Solis*, ac diversam prorsus

calefactionem senties, ceu per aliud. 2. *Membrum* hac nititur ratione, qvod nemo nobis neget, calorem referri posse ad qualitates tactiles, quæ sensum tactus non afficiunt, nisi ipsa quoqu substantia affuerit organo. Indeq; si tandem exceperit quis, *ignem internum per externum calorem excitari, uniri atque sic per vim unitam subjectum consumere propriu*: dicimus hoc non esse in controversia, nisi intelligas calorem id præstare qva accidens est, & sic id negamus ex prioribus. 3. *Membrum*, optimè elucet (α) quia ignis iste in sole dum foret exhaustus, (β) foret violentus, & nullum violentum est adeo diuturnum, ut possit per tantum spatum durare & ad nos descendere. Interim novimus eum, aliter qui sentit, *ad prius responsurū, Deum istum defectum indies suppleret*, sed male: Nam ut taceamus creationem, quæ sextum diem, tamquam sibi ultimum videbat, necesse esset ut Sol quem naturaliter emisit, naturaliter recipere ignem. Qvod si ceu verum quis assumit frustra tamen laborabit, quoniam ignis ille validissime expulsus,

â sole arceret redditum; Sin Sol locum
advenienti relicturus, non æq; ab omni
parte ignem emitteret, rogamus ratio-
nem assertionis reddat : Qvibus adde
montes, perenni contectos nive, can-
dentes glacie. *Ad posterius* te etiam re-
sponsorum novimus, quod scilicet *solis*
comitetur iste ignis radios, ab eis ut terram
petat directus; hoc tamen nihil aliud est,
quam motum afferre violentum, datâ
hac causa extrinsecus movente: qui
motus nec diuturnus permanebit, licet
exemplum idem desumferit à *sanguine*,
quippe qvis nostrum ignorat, sanguini-
mem spiritusq; non *violenter* sed *natura-*
liter ascendendo descendere ex princi-
pio sui motus interno, nempe forma, a-
ctionibus istis præsidente. Verum qvid
refert hisce diutius immorari, videmus
Wendelinum duobus cœi palmariis argu-
mentis, viam sternere suæ sententiæ,
qvorum summa est, quod *nec scripture,*
nec experientia contradicit ille, nec negare
possimus nos, *soli competere pleraq; esse*
alia, igni nostro inferiori communia. Ad
quod Respond: i. concedendo, nam sit qvod

non contradicit *scriptura*, *scriptura* tamen non est norma *rerum Physicarum*, quia exprimit interdum rem, relinquens Physico modum rei indagare. 2. *Negando*, qvoniam ubi ille ad experientiam, minori judicio invalidam provocans, dicit *majorem putas (per se) cognosci astum à sole verticali, quam à remoto igne quantumvis maximo;* reponimus nos ipsi, quod immemor hic est propriæ naturæ ignis, quæ in *adstans*, non autem *in distans* operatur. Nec juvat dicere superiora loca ideo esse frigida, qvod *calorem impediunt frigidiores quidam montes*, quia dicere Solem esse igneæ naturæ & tamen datis his impedimentis, non posse illum operari in *adstans*, sed potius in *distans*, est conditorium, est contrarium experientiæ sanæ. Præterea & heic obser-
vabit, qvod diximus prius in initio parag: nempe ignē ubi copiâ affuerit maiori, proprium consumere subjectum.
3. *Respond.* *Erratum demonstrando*, ubi solis ac ignis communem indolem probaturus, assumit loco probationis *essentia ignis* (utor verbis ipsius) sed *remota maxima-*

maxime, si propria forent, ut procul
apparere figurâ rotundâ, lucere, mica-
care &c. quod fallit & ceu otiosum præ-
terit, *essentiale proximum*, quod iam sæpius
diximus, sæpius etiam à Sole removi-
mus. His adeo sublatis, nec concede-
re possumus solem calefacere per *mo-
tum*, siquidem inter agens & patiens,
contactus intercedat necesse est, sed quis
contactus est inter motum in Cœlo &
nostrum Aërem? Deinde ut taceamus,
quod mundus ex hac assertione, spatio
unius diei caruisset *calore* regnante Jo-
suâ, Jos: 10. v. 12 & seqq. vel ipsa *Luna*,
foret calidissima, quia nobis ut proxima,
sic velocissime cursum suum absolvit.
Neque concedimus Solem ca-
lefacere per *lumen* aut *radios*: quoniam
in *genere* considerata sunt *entia intentio-
nalia*, quæ reale quid ut calorem, aut
substantiale, ut ignem nequeunt pro-
ducere: Et in *specie* circa *lumen* hæc sunt
notanda: quod dies hiberni æstivis in-
terdum sunt lucidiores, & noctes sere-
niiores: semper tamen eo sunt frigidior-
ores noctes, & dies non calidores. Ver-

bo; Si Sol calefacit per lumen, ut lumen,
quæ erit ratio, quod luna, squamæ pi-
scium &c. aërem non calefaciunt? si ut
Solis lumen est, hoc præstat, det quis
nobis rationem discriminis, inter alte-
rius & Solis lucem, cum in specie con-
veniat. Nendum calefacit *in specie* per
radios, ceu *per se*, quia anno unoquoq;
sunt illi æquales, verum non calor. Er-
go unice reliquum est & tutissimum, di-
cere solem calefacere *per effluvia*, extra-
hendo scilicet atomos igneas potissi-
mum è terra, nam continent in se quo-
que ignem corpora mista, qui depre-
hensus elicitur, ubi agitantur, *ut supra*.
Dum idem Sol beneficio suorum radio-
rum, secum pariter unit ac colligit i-
gnem per aërem dispersum, ac illuc
projectum à *Vesuvio*, monte in Campania,
Etna in Sicilia, *Hecta* in Islandia &
quos plures numerant *Geographi*. Ade-
oq; dū distingvimus inter terræ *essentiā*
& *existentiū*, inter *corpora simplicia* &
mixta, inter atomos *ligatas* & *liberas*, una
cū *calore ipsam* quoq; in aëre adesse *Ignis*
substantiam, testatur vel nobis tacentibus

Danubius, qui Anno 1573. ita exaruit, ut pluribus in locis aperuerit vadum: testatur ipsa nobis vicina *Muscovia*, quæ etiamnum memorat pagos, memorat sylvas, segetes, quibus ipsum ignem aëri inesse probavit, Anno 1526. Sed ad nostri thematis affectiones revertamur..

§. IV.

Restant etiamnum intactæ quædam affectiones, quas inter & referas Solis rotunditatem, quâ globosus est. Nam siue orientem siue occidentem, boream aut austrum contemplatus fueris conversus, eandem tamen figuram, æq; rotundam sphærā, ac eundem æqualiter solem advertes. *Sola figura sphærica inter omnes hoc habet privilegii*, ut omni ex parte rotundam oculis nostris figuram reperiret. Adeo: quin *S*finis Solis globosam requirebat figuram ut lumen in terras longe latèq; diffusum dimitzeret. Nam à circulo plano tantum lumine duxata reflecti potest, quæcūa est interior dimetiens, in globo autem longe plus. Ut subtiliter disputat subtilissimus ille Scaliger, citante Wendelino. Qvod vero nobis planus appareat Sol, causam demus nimiæ distantiæ, quâ non advertimus partes quasdam esse remotiores.

Qui vero solis tollunt *motum*, iniqui
 sane sunt, cum *scriptura*, quæ evincit
 solem retro cessisse Esaiæ 38. 8. evincit
 solem *oriri & occidere*, evincit etiam,
 quod *exeat* sol ut *sponsus de thalamo suo*,
 ac *latetur ut gigas ad currendum viam suam*.
 in psalmo Prophet 19. &c. tum *ipso*
manifestissimæ experientiæ. Nam ultra du-
 centa septem millia milliarium hora
 unaquaq; peragrans, æq; libere in cœ-
 lo movetur ac pisces in aqua & volu-
 cres in aere, hoc addito discrimine,
 quod nec cibi indigus sol, nec regio-
 num commodiorum avidus, nec ini-
 micum aliquem timens, vel huc, vel
 illuc trahatur imaginatione, sed virtu-
 te in prima sibi inditâ creatione, motu
 simpliciter unico, serie ut certâ, sic
 constatissimâ pergit ab ortu ad occa-
 sum. Quæ cum egeant ulteriori ex-
 plicatione, dicimus I. *Solem per se & li-*
bere moveri, & non ad cœli ut volunt aliqui
motum accommodari, (α) quia constat hoc
ipsum à sacris, quæ attulimus testimoniis (β)
quod nec terra, nec cœlun-
pro-

proprie dictum movetur, sed astra & sol una (γ) quia motus ipsi à cœlo datus, foret violentus; & nullum violentum est diuturnum, propriâ contradicentium confessione. Adeoq; dum dicimus solem non moveri *volutatione*, vel *converstione*, sed *progressione*, eaq; non violenta, sed propria; ponimus etiam solem cœlum, ut corpus fluidum, se-care *absq; vacuo*, quod iterum probaturi sumus à piscibus in aqua, & volucris in aëre; tum demum attentes ad beneplacitum Dei creatoris, distinguimus inter corpora ea, quæ gravia sunt in *loci suonaturali & violento*, sublati omnibus cœli partibus densioribus (nam nigrorem quem observarunt aliqui circa polum antarcticum, esse stellas, non *per sè* obscuriores, sed *per accidens* ab nimiam distantiam existimamus) tuto statuamus licet solem 2. *virtute propriâ moveri*, quod probatum imus (I) *ā negatione formæ assidentis*, quæ appetit in luna quaq; ferme pagina.(II) *ā positone interni principi*, ut constat ex parag.

parag. 5. Memb. 2. (III) à declaratione
perfectionis in unaquaq; creatura, quod sci-
licet constat suâ materiâ & formâ tam-
quam partibus essentialibus. Qvibus
etiam addimus distinctionem inter *cor-
pora sublunaria*, quæ naturaliter ab ex-
terno principio, diversimode admota
suo ubi quisunt, & *solem*, qui condito-
ris singulari beneficio, non secus ac re-
liqua cœlestia, istiusmodi motus est
immunis, tam de aliis causis, quam quod
ad motum localem (si modo de omni
in genere hic agere velis) excepta for-
mali causa, non tantum concurrit *gen-
erans naturale*, sed etiam is, qui omne
qvod est creavit, ac dicitur ens *supra
naturale*, relictâ à nobis illorum con-
tradictione, qvi dicunt solem *naturaliter*
à principio externo moveri, nam natura-
le excludendo externum, præsupponit
internū agens. Interim ut 3. probemus,
*uno & simplici motu moveri solem ab ortu in
occasum, neutquam ab occasu in ortum pro-
gressurū*; argumentum adducimus ex Wende-
lino hoc modo: Rem unam & numero ean-
dem, uno & eodem tempore, citra sui dislen-
sionem & partium distractionem, in partem
simul

simul dextram & sinistram moveri adiutorum est: Atque sphaera solis, patentibus ipsis adversariis, res una est numero eadem: Ergo circa sui distensionem vel distractionem, eodem tempore in occasum simul & ortum,, hoc est dextram & sinistram moveri nequit.

In Majoris probationem exemplo fibi ponit consolidatam ferri laminā, qvam duo in diversa trahunt diversis & separatis vicibus, non autem simul in eodem puncto. Breviter; Annuum motum dant quotidie diversa puncta, non contrarius motus.

§. VI.

Suo autem in descensu, varia signa Cœlestia, errantia & non errantia exit Sol visitatum, adeoq; tanto magis varius est & efficax ejus *influxus* in vicissitudinem, in generationum, in corruptionem, in ipsarum demum tempestatum varietatibus. Credunt cum Sole converti Heliotropium. Credunt etiam Authores, quod arborum succus, prius ad radicem collectus, circa solstitium brumale arborum ad summa se retrahat, ope Solis sursum tendendo. Breviter; Generantur hujus beneficio

herbæ, augentur segetes, corrumpuntur vegetantia, ut pleraq; hæc & alia affirmata exposuimus in parag. 6. Mēb. 2. (qvo & Candidum Lectorem remittimus) præter qvod verbo saltem negamus, *potest fataliter inferre mortalibus necessitatem, aut in voluntatem eorum exercere dominium*, siquidem ejus rei ventilationem reservavimus ad specialium heic circa finem quæstionum decisionem. Qvo fit, ut his velis depositis, stenus promissis, arripiendo manu maxime concisa,

MEMBRUM QVARTUM

Eas, de qvibus diximus, cum quæstione
alia resoluturum.

Vidimus orationes loquiar, peregrimus praemalologiar, nunc ergo restant quæstiones heic evolvenda, quarum unam in duas distribuimus, ut tanto magis distincta proponatur, distincta etiam explicetur.

QVÆST. I. *An à Sole & reliquis astris determinetur voluntas hominum?* Resp.

Inesse Soli & reliquis stellis mirum influxum, qvo vel ipsum hominem impugnant, quis nostrum, ceu novum admire-

miretur? Debilitantur namq; magis vires nostræ mediæ æstate, quam nuperrime adventante. Afficimur quoq; varie tam diversis Cœli constitutionibus, ut modo lætemur, modo mæreamur, rebus nostris gerendis cum idonei, tum ~~minus~~ apti. Unde tandem non deprehendimus, quomodo solis & siderum vis in reliquis admissa, solo in homine tollatur: Cum singuli doctorum probant aëris constitutionem magni momenti esse, circa humorum & spirituum mutationem. Non tamen tanti ut per humorem accrescentem & decrescentem, aut per spiritum turbatum valeant astra *directe agere* in voluntatem nostram, quod ipsum convincitur (α) à voluntatis libertate in agendo, ejusdem indifferenta & indeterminata quidditate, respectu futurorum (β) ab ejusdem immateria litate (γ) à defectu contrariarum qualitatum, nam quæ alterando in se mutuo agent, contrarias possidebunt qualitates (δ) quod habent se astra, ut caufas universales, ad omnia sublunaria. Sed *indirec te quod valeant* concedimus, ipsius nimirum

mirum inclinationis partu , à quo ad rem ipsam colligere non valet, nam etiamnum remansit voluntati potestas libera. Indeq; dominantur licet astra hominum *temperamento*, & ex temperamento ipsis interdum *affectionibus*, qui ut à temperamento fluunt, rationis jugum sæpe excutiunt: nihil tamen *specie* *ican-*
do reliquis nocebunt *studiis*, quæ ab ho-
minis libero proficiscuntur arbitrio,
eog; inorganico. Huc etiam *instantiam* re-
fer, nempe quod *organo anime corrupto*,
ipsa quoq; acto labefacta corrupta, quia ei-
dem ad hanc vel illam actionem dispo-
sito, ipsa quoq; anima succurrit con-
fentiendo: tum etiam subjungas veli-
mus responzionem dicti *Wendelini* §
Si scilicet de vegetantibus, de sentientiis poten-
tia operationibus hoc accipiatur uestige de
sensuum actionibus, de nutritione, augmen-
tatione, diminutione, concoctione & similibus,
qua ab organis corporeis simpliciter depen-
dent, hominisq; arbitrio non subjacent, dubio
procul verissima est instantia & non aliter.
Sic tandem singulis his observatis pau-
cis saltem ad sequentem.

QVÆST. II.

QVÆST. II. An fato Astrologico sui certi
sint limites? Respond:

NAM dicunt quidem *Genethlisci* sua
præcepta innumerabilibus observationibus comprobata esse; verum plurimos mortem nihil timentes, occubuisse constat. Dicunt astra occultam habere vim, item ex Sacris constare, quod signa sint futurorum; verum nec vim eorum agnoscimus in immaterialibus, nec certitudinem de contingentibus. Addimus etiam quod à particulari, & contingent ad universale & necessariū argumentari, aut incertum per æq̄ incertum roborare, ut in omnibus, sic maxime in hoc loco erit lavare laterem, auram captare, aquam haurire cibro. *Notant sperata, negligunt insperata Si semel accidit, quod fuit in votis virgili curā id notatum est. Contrarium si contingit, decies dimissum, neglectum, negatum est, dicēte Sperlingio.* Imo imbecillitatis humanæ oblitii, cum innumerabili stellarum multitudine, cum admirabili earum varietate, cum quotidianā & multiplici mo-

D tuum,

tuum, positionum, ipsarumq; configura-
tionum mutatione, etiam tenentur
Genethlia: momentum horæ, quo vel cō-
ceptus, vel in lucem editus est infans
novisſe, tum subtiliter applicare siderum
positus ad illud ipsum: si modo suam
sententiam servare velint. Et esto quod
dicant in omnibus se non erraturos; de-
prehendant utique stellas quo situ, quo
vigore fuerint, cum ille in quem inqui-
runt, nasceretur: At unde tantum sиде-
ribus in ipsam nostram mentem impe-
rium? unde tanta potestas? Ut egre-
gie inter Historicos, hac de re differit
Barclajus in sua *Argenide* libr: II. pag:nobis 243. & seqq: præter quod negat a-
stris influentiam in corpora nostra.

QVÆST. III. *An Sol festo Paschato: tripu-
diet in ortu* Respond:

Sunt non pauci inferioris subsellii ho-
minum, qui malâ Scripturæ accom-
modatione, & non meliori ad experien-
tiā provocatione, certâ fide credi-
dere, credunt etiamnum, ac nisi perti-
naciam ad omnem exosi, locum relin-
quent

quant correctioni, vel posthac tenaci-
ter sunt credituri, solem ut omnia sub-
lunaria tripudiasse resurgente Crea-
tore, & tripudiare hodietenus. Verum
si literali hic standum sensu, non tan-
tum Sol, non luna, non cæteri planetæ,
sed & totus & tantus, quantus unquam
est, erit aut fuit siderum exercitus, tri-
pudiaret ita saltans, saltaret exiliens, &
exiliret tripudians: ut taceamus non
debuuisse istum saltum, tam brevi auro-
ræ tractu, tam arcto tempore, tam ab-
rupto spatio transfigi, sed vel totâ die, ad-
dimus die naturali, Græcis νυχθιμεροι di-
cta. Quia sol per gradus, nunc his, nunc
aliis terræ habitatoribus, citius orienta-
libus, tardius autem occidentalibus
oritur aut occidit, nunquam par-
tes traditas subterfugiens, aut remorā
patiens, singulis stato tempore vacans.
Tum sit quod experientiâ idem habe-
ant, ea tamen rustica est & fallax, quæ
sæpius admittit contrarium: qvamvis
nec negamus vapores, Vere & Autu-
mno liberos grassantes, sic hodietenus

posse hominum oculos ludere, posse etiam hominum oculos decipere, ut olim fefellerunt Rhodienses, qui *Scaliger* jam puerō retulerunt, solem exultaſſe die divi Baptista. Qvod nos; sed jam de tabula manum. Tui interim favoris sit rogo, *Candide Lector*, me tenerum virgultum non omittere, me herbam glifcentem non derelinquere, sed mihi infirmo vires, iñmaturo judicium, & tn. periclitanti vela subministrare secūda, tua ad hoc ipsum Te provocante benignitate. Sic laudem tuam canet istud virgultum, & ex mera Dei gratia accrescit illa herba: Nam ipsæ etiam literæ suam vident imbecillem, suam vident puerilem, vident quoqu virilem ætatem!

GLORIA ALTISSIMO!



Viro

Viro Juveni
Natalium splendore, morum elegancia ani-
miq; cultu politissimo

DN. HAQVINO A. WJSING;
Populari ac confangvineo dilectissimo,
in florentissima Acad. Aboensi de SOLE e-
rudite disputanti:

Naturam SOLIS rutili Wjsing benevolens,
Eximiam laudem colligis inde tibi;
Quo lig; probat presens Tua dissertatio, quare
Laurea pierides mox tibi ferta parant.
Gratulor ergo tibi meritò, Literate satelles,
Cognatisq; tuis, tum simularq; Patri!
Marte novis ausis! Rex SOLIS cuncta secundet
Capta! vale longum! deniq; vive diu!
gratulabundus accinebat
PETRUS S. ULNERUS.

Viro Juveni,
Pereximio ac Praestaneissimo
Dn. HAQVINO WJSING;
Patriotæ ac confangvineo pluri-
mum honorando.

Cernere Phæbejum sidus, jovis ales aduncus,
Quic fixis oculis, non tamen ullus homo.
Terrigenis Wjsing reliquis præstantior ergo
Censoris, solem quod videoas anit.o.

L. Mg; quamvis festinare
A. MELLIN.
S. R. M. Aluminaus.

Nullas præstantiores opes relinquent suis
filiis cordati parentes, quam si eos bonis
instructos artibus & bene moratos a se dimi-
serint. Probat enim hoc ipsum dictum Aristippi,
qui cum ad littus Rhodium naufragio ejectus
esset, & socii digressurique quererent quid ille nun-
tiari domi velleret, hoc unum referrent jussit: *Eas*
opes filii parandas, quæ naufragio non peri-
rent. Scilicet non immerito optimum id audit
Patrimonium, quod non rebus pereuntibus suam
debet perennitatem, quod nec fluxus fortunæ
moderatur, sed virtutibus & doctrinis constans,
extra regnum omnis fortunæ procul in tuto
adeo positum est, ut laedi ullo modo nequeat.
Proinde felix omnimodè censendus sit ille, qui
primum à parentibus pie enutritus, etiam ab i-
pis dimissus, tali semper litat thesauro, qualem
non livore edax, non annorum series, nec fuga
temporū, eripere, mutare atq; dissipare possant.
Et quoniam hæc singula in te *Frater sincere a-*
mande, singulariter quadrent, ubi circa vete-
riorem veterum Persarum Dei imaginem (So-
lem scilicet) temet exercitaturus, egregium sa-
me profers industrii exercitatoris exercitium,
quid ni totus in gaudium? torusq; effundat in
lætitiam? Et tu ipse pede velox, proporro per-
ge, quo cœpisti, ut nomen & omen olim ha-
beas, meritoque etiam veræ sapientiae decus
audias. Vale! bas lineolas fraterno

In Ajola raptim scripsi
d. 18. Nov. A. 1685.

ad felicem adjecit
DAVID Wessing.

Loco in excelsō sedem fixisse Musas,
haut iūmeritō fabulati sunt Poëtæ, &
labores, sudorem, vigilas earum ad a-
tria nos ducere, dixit Antiquitas: Nam
eo ipso indigitatur, quod rerum suūmus
arbiter, montem hunc mortalibus fece-
rit aditu difficultem, ne quid venderet
sine magno labore. Hoc ipsum cogi-
tans perpendit *noster Wilsing* doctrinā
ideo *peregrinus*, quia ut studiis, vigiliis
ac laboribus se nunquam subduxit, sic
jam ceu calidi sudoris testem, hanc di-
sputationē marte proprio confectā, nec
non concinē compositam, in lucem pro-
duxit, productam defensamq; corā sin-
gulis non sine laude deponit. Iccirco
ego huic in paucis dilectō benē cupi-
ens, mihi gaudeo, ipsi gratulor *lurum*
non aurum ambienti. votisque simul ex-
peto, metam desideratam faustus at-
tingat, Iureae lauream mercedem,,
studiis i s apprimē dignam referat,
relatāque plenā felicitate felix frua-
tur.

Quod optat ejus amantissimus
JONAS P. Swartberg
Wex. Smol.

Quemadmodum colonus dum terram colit,
Et semen spargit frugem copiosam tempore
autumnali expectat; Ita quoq; ille qui juveni-
libus annis, spretis omnibus difficultatibus, vi-
gili curâ Musis invigilat, studiorum cursu per-
acto, cumulata reportat præmia. Hec satis im-
peramande Dn. Patriota perpendisti, minime
ignorans, quod et si multa artibus incumber-
si liberalibus obstant, isti tamen strenue de-
veratis, immortalis se in finet corona; quod
quoq; nunc doctâ monstras disputazione egre-
giè à Te scripta arg; defendenda. Ad quod
laudabile propositum, ex intimitate cordis pene-
tralibus voveo, ut ribi Magnus Rex olympi be-
nedicat! ut illud tandem tibi ipsius in hono-
rem, Patri tuo in solamen, cognatis & amicis
in gaudium, reipublicæq; in utilitatem vergat
desiderabilem! adjecit

JOHANNES HORNAEUS.

